



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 71. Concilium Parisiense.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

strat, ostenditque, semper Jesum Chri- Sæculum XI.
stum esse, qui consecrat, sicut etiam JE- A.C. 1050.
sum Christum, qui baptizat.

§. LXXI.

Concilium Parisiense.

Concilium Parisiense præstituta die de- Durand.
cima sexta Octobris anno millesimo Troarn.
quingagesimo celebratum. Adfuerunt
magno numero Episcopi, Clerici, Nobi-
les Laici, Rege ipso præsentē. At Beren-
garius, etsi mandata accepisset, quibus
venire jubebatur, non paruit, sed apud
Episcopum suum Brunonem, quem suis
erroribus infecerat, mansit. Nihilomi-
nus Isembertus Episcopus Aurelianensis
epistolam admodum prolixam publice
producens ait: *Jubete, obsecro, ut lega-
tur hæc Berengarii epistola, non equidem
mibi scripta, sed a me intercepta, cum eam
per nuncium cuidam amicorum suorum no-
mine Paulo mitteret.* Hic non alius quam
Paulinus Primicerius Metensis fuisse cre-
ditur. Ergo lecta est hæc epistola in-
gentique omnium expectatione excepta.
Verum cum indignationem plerique pre-
mere non valerent, sæpius auditorum
fremitu turbatus est lector priusquam ad
finem pervenisset. Nec mora Berenga-
rius cum Sectatoribus suis una voce da-
mnatus, atque etiam Joannis Scoti liber,
ex quo nefandi errores hausti fuerant.

Tum

Sæculum XI.
A.C. 1050.

Tum a toto Concilio declaratum, nisi Berengarius & Sectatores ejus pestilentem Doctrinam retractarent, fore, ut universus Francorum exercitus, viris Ecclesiasticis ante primos ordines procedentibus, eos persequeretur, ubicunque delitescerent, & obsiderent, usque dum in obsequium fidei intellectum submitterent, vel perfidiæ pœnas morte darent. Hujusmodi Decretum Concilii Parisiensis fuit.

Cum Rex Franciæ munus quoque Abbatis ad S. Martinum Turone gereret, jussit Henricus, Berengarium illa pensione, quam tanquam Canonicus illius Ecclesiæ percipiebat, privari. Quare Berengarius data ad quemdam Abbatem, nomine Richardum, Regi familiarem, epistola conquestus est. In ea rogabat Richardum; Regem moneret & hortaretur, ut sibi hoc damnum sine justa causa illatum aliunde sua munificentia resarciret. Postea paratum se esse dicebat ad demonstrandum coram Rege vel quocunque alio, ut Regi placeret, contra fas in Concilio Vercellensi Joannem Scotum fuisse damnatum, & laudatum Paschasium. Subjungebat: *Regem meminisse oportet, Joannem Scotum rogatum a Magno Carolo, ipsius Antecessore, Principe Religionis amantissimo scripsisse.* Nam ne error hominum rudium & Scripturas igno-

to. 2. *Spicil.*
p. 510. to. 9.
C. p. 1062.

ignorantium illa ætate prævaleret, viro ^{Sæculum XI.}
doctissimo hunc laborem injunxit, quo ^{A C. 1050.}
ex Scripturis meliora edocerentur. Hic
ei de Carolo Calvo sermo est.

§. LXXII.

Lanfranci Exordia.

Lanfrancus illustrissimus ille Berengarii ^{vit. Sæc. 6.}
Adversarius natione Italus, Ticini ^{Ben. part. 2.}
ex Familia Senatoria natus, patrem ha- ^{p. 635.}
buit illorum ex ordine, qui Conservato ^{Boll. 28.}
res Legum civitatis dicebantur. Quo ^{Maj. to. 17.}
adhuc puer orbatus, cum ei ab amicis ^{p. 834.}
Dignitas defuncti Parentis destinaretur,
relictò Ticino in aliis urbibus literarum
studiis vacavit. Multo in iis consumpto
tempore rediit humanioribus scientiis
instructissimus. Exinde vero patriæ ite-
rum valedicens superatis alpibus, Henri-
ci Regis & Guilielmi Normanniæ Ducis
temporibus in Franciam venit. Socium
secuti sunt non nulli Palladis alumni, fa-
ma præcipui, & ipse Abrincis moratus
aliquamdiu collectos aliquot Discipulos
docuit. Mox vero perpendens, quam
vanum esset & inutile hominum laudes
captare, statuit ejusmodi vitæ Institu-
tum amplecti, quo soli Deo placeret, cu-
piens etiam hominum doctorum fre-
quentiam devitare, ne quis esset, qui
eum singulari honore afficeret.

Inter